

INTRA ANNUM DOMINI MCLXXXII-XC

JOANNES BELETHUS

THEOLOGUS PARISIENSIS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 86)

*Joannes Belethus, Pitseo Bilethus, qui Anglusne fuerit an Gallus, dubitat. Certe theologicae scholae rector Parisiis, ut testatur Henricus Gandavensis cap. 18 De S. E. Deinde in ecclesia Galliae Ambianensi floruit, teste Alberico in Chronico ad A. 1182, pag. 363. Scripsit *Rationale divinorum sive Summam de divinis officiis*, editam Antwerp. 1553, Cornelio Lautimanno curante, et *Dilinge* atque iterum Antwerp. 1570, 8°, et cum Durandi Rationali Venet. 1572, 1581, 4°; Lugd. 1565, 1585 et 1592, 1612, 8°. Praeterea *sermones* ejus varios memorat Trithemius cap. 415. Pitseus etiam *Gemmam animae*, laudato teste Henrico de Gandavo, sed in cujus Catalogo de illa ne *pp.**

RATIONALE DIVINORUM OFFICIORUM

AUCTORE

JOANNE BELETHO

THEOLOGO PARISIENSI

Opus annis abhinc fere quadringentis conscriptum, nunc demum opera Cornelii LAURIMANNI in lucem editum.

(Lugduni, 1672, in-4°, ad calcem *Rationalis* Durandi.)

CORNELII LAURIMANNI

ULTRAJECTINI

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Non eram nescius, pie Lector, cum hunc De ecclesiasticis officiis librum typis primo excudendum proposuissem, quin infinitos prope in me carbones excitarem. Nam tum velut apertis oculis fore satis prævidebam ut noster hic qualiscunque labor in varias incurreret reprehensiones. Atque id quidem haud injuria. Ut enim omittamus hoc, qui, quantumvis pie satis de rebus istiusmodi ad Ecclesiam nimirum pertinentibus sentiunt, non possunt tamen sese cohibere quin et aliorum laboribus censoriam virgulam quodammodo subducant certe ab eorum morsibus qui innumera in dies novorum dogmatum commenta excogitant; nullam mihi securitatem ausim polliceri. Hi sunt, quos se Evangelicos et Paulinos appellari non pudet, cum in iis nihil minus sit quam quæ in Evangelio præcepta sunt exsequi, quæque a Paulo, qui non sine causa dictus est vas electionis, sunt tradita, recta ratione expendere. Quod adeo verum esse jam inde a multis annis per varios scriptores, eosque non minus pies quam eruditos, abunde ostensum est. Eo enim humæna rediit audacia, ne dicam stultitia, eo, inquam, inconsiderata illa ac præcepta quorundam hominum libido lapsa est, ut non vereantur quadam pervicacia in se recipere, quod ab iis quam longissime abest. Ab horum itaque virulentis impetitionibus, sat scio, tutus esse non potero, qui quod hac in parte fecimus nunquam sint probaturi. Nam qua ratione ea probent quæ cum suis insulsis et perniciosis videant pugnare institutionibus? Quæ nos huc sanis atque evidentibus probata rationibus adducimus, hæc illi plane rejiciunt. Et quid vero rejiciant, si novam sibi Ecclesiam invenerint, et in ea novas, si diis pla-